



Disputatio juridica inauguralis de tutelis

<https://hdl.handle.net/1874/340702>

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS,
DE
TUTELIS,
QUAM

DIVINO NUMINIS AUSPICIO
Ex auctoritate Magnifici D. Rectoris,
D. JOHANNIS van MUYDEN,

J. U. D., ejusdemque Facultatis in Illustri hac Academia
Ultrajectina Professoris Ordinarii, Dignissimi,
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu, & Nobilissima
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*
PRO GRADU DOCTORATUS,
Et summis in UTROQUE JURE honoribus & Privilegiis
ritè, ac legitimè consequendis,
Eruditorum Examine subicit

JOHANNES CAROLUS PLOOS VAN AMSTEL, Ultraject.
Ad diem . August. horis locoque solitis.



TRAJECTI ad RHENUM,
Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiae
Typographi, clc lcc Lxxxvii.

*Illustrissimis, Generosissimis, Nobilissimisque
Viris ac Dominis,*

D. D. GERARDO PLOOS

van **A M S T E L,**

Toparchæ in Oudegheyn & Gheyn &c. olim apud
Fœderatos Belgas Legionis pedestris Chiliarcho, ac
in agro Trajectensi saltuum præfecto, Patri suo in
æternum debito honore & Amore prosequendo,

U T E T

D. D. ADRIANO DOMINICO

P L O O S van **A M S T E L,**

apud Fœderatos Belgas centurioni, Fratri suo unico,
maxime reverendo,

N E C N O N

D. D. JOHANNI de CASEMBROOT,

Domino in Ter Moer &c. Inclytæ Civitatis Traje-
ctinæ Senatori ac Scabino, Collegio cui curâ Agge-
ris ad Leccam commissâ adscripto, affinitate conjun-
cto, plurimum honorando.

*Hæc Theses Inaugurales, ea qua
par est reverentia*

Offert & inscribit

JOHANNES CAROLUS PLOOS van **AMSTEL.**

Auct. & Resp.




DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS,

DE

TUTELIS.

THESIS I.



Mnis materia debet à definitione proficisci, ut intelligatur id, de quo disputatur, teste *Cic. lib. 1. de off.* idcirco mihi placuit definitionem tutelæ præmittere, quam Servius ita definit in *l. 1. ff. h. t.* Tutela est vis ac potestas in capite libero ad tuendum eum, qui propter ætatem se defendere nequit, jure civili data ac permilla: Cujus originem si spectes est ex jure gentium & æquitate naturali: *§. pen. inst. de artil. tut.* si formam, est ex jure civili. *d. §. pen. & d. l. 1.*

I I.

Sed cum tutores det vel testator, vel lex, vel magistratus, facile dividi potest in testamentariam, legitimam, & dativam, *l. 52. Cod. de Episc. & Cleric.* Testamentaria tutela est, quâ paren-

A 2

tes

4 DISPUTATIO JURIDICA

res liberis suis impuberibus, proxime in potestate positus, tutores dant testamento, vel Codicillis testamento confirmatis §. 3. *inst. de tut. l. 3. ff. de test. tut.* Nec refert liberi nati sint an posthumi. §. 4. *inst. de tut. masculi an fœminæ §. ult. inst. qui test. tut. dar. post. instituti an ex hæredati. l. 4. ff. de test. tut.*

I I I.

Quæri hic possit; an avus nepoti testamento tutorem dare possit? affirmo per §. 3. *inst. de tut.* modo nepos post mortem avi non sit recasurus in potestatem patris, *d. §. 3. inst. de tut.*

I V.

Ad certum tempus, vel ex certo tempore, vel sub conditione testamento tutor dari potest. *l. 8. §. 2. ff. de test. tut. §. 6. inst. qui test. tut. dar. poss.* Certæ autem rei vel causæ tutor dari non potest *d. §. 6. inst. qui test. tut. dar. poss. l. 12. 13. 14 ff. de test. tut. nisi per consequentiam, & bona pupilli longe lateve sint dilata. arg. l. 15. ff. de test. tut.*

V.

Non tamen omnes tutores in testamento dati simpliciter valent, quia aliquando requiritur tutoris confirmatio: puta si Pater filium naturalem & legitimum emancipaverit, & postea ei testamento tutorem dederit, non valet tutoris datio sine confirmatione: *l. 1. §. 1. ff. de confirm. tut.* Confirmatio tamen facienda est sine inquisitione: *l. 6. ff. eod.* Si mater vero liberis suis impuberibus testamento tutores dederit, ea datio solet confirmari cum inquisitione *l. 1. Cod. de Confir. tut. l. 2. ff. eod.* Quia mater non valet tanta rerum & civium noticia, quanta pater.

VI. Quid

VI.

Quid si à patre filio emancipato tutor testamento datus, & à prætore confirmatus sit, eritne tutor testamentarius, an dativus? Licet tutor habeat pro se testatoris iudicium *l. 3. Cod. de confirm. tut. l. 32. ff. de excus.* dativis potius quam testamentariis eum animerari posse puto, quia omnem potestatem habent ex magistratus decreto. *l. 26. §. ult. de test. tut.*

VII.

Si nullus sit testamentarius, succedit tutor legitimus: *l. 11. ff. de test. tut.* Quod fit, cum testator deceffit in testatus, aut si condidit quidem testamentum, sed in eo tutelæ non meminit, aut dedit quidem tutorem, sed is vivo testatore deceffit. *§. 2. inst. de leg. agn. tut.* tunc defertur proximus agnatis, jure novo etiam cognatis, nam illa differentia inter agnatos & cognatos sublata est per *Nov. 118. cap. 5.*

VIII.

Regulariter mulier tutrix esse non potest, quia est munus virile. *l. 16. & 18. ff. de tut.* nisi sit mater vel avia, *d. nov. 118.* Hæ enim agnatis & cognatis præferuntur, si tutelam gerere velint, modo renuncient SCto, Vellejano, & secundis nuptiis: *Auth. matri. Cod. quand. mul. tut. off.* sed si mater ad secunda tota transeat, non tantum à tutela est removenda, & si antea non reddiderit rationes, privatur successione impuberum ab intestato, bonaque secundi mariti pupillis etiam sunt obligata *l. 2. & 3. Cod. quand. mul. tut. off.* Mater autem aviæ in tutela præfertur, cum & successione potior sit, nisi mater sit minorennis: *arg. Nov. 118. cap. 5.*

I X.

Deficiente testamentario & legitimo tutore, magistratum est impuberibus dare tutores, *prin. & 3. inst. de Attil. tut.* Quæri hic potest; An tutoris datio sit jurisdictionis, an imperii an vero specialis permissionis? sunt qui mixti imperii esse contendunt *arg. l. §. 1. ff. de jurisdic.* sed verius est quod Ulpianus ait: *l. 6. §. 2. ff. de tut.* Prætor enim dat tutorem, non quia est prætor, sed quia nominatim hoc ei dedit lex Attilia; *prin. inst. de Attil. tut.* Sic lex Titia præsidibus tribuit jus dandi tutores: *d. prin. inst.* sic & legati proconsulis ex oratione Divi Marci tutorem dare possunt. *l. 1. §. 1. ff. de tut. & cur. dat. ab his.*

X.

Tutores esse possunt, non tantum patres famil: sed & filii famil: non obstante patria potestate, *l. 9. ff. qui sunt, sui vel alien. jur. furiosi & minores 25. annis;* illi autem administrabunt, cum sanæ mentis vel major 25. annis erunt *§. 4. inst. qui test. tut. dar. poss.* Quæritur, An debitores vel creditores pupillorum tutores esse possunt: quod illi tutores esse non possunt, patet ex *Nov. 72. cap. 1. §. 2. 3. amb. minoris. Cod. qui test. tut. dar. poss. nisi debitum vel creditum sit modicum.*

X I.

Prohibentur autem tutores esse servi durante servitute. *inst. §. 1. qui test. tut. tut. dar. poss. l. 10. §. ult. ff. de test. tit. Transfugæ. arg. l. 19. §. 4. ff. de capt. & postlim. l. 5. §. 1. ff. de capit. dimunit.* Monachi & Episcopi nullam recte tutelam gerent. *amb. presbyteros. Cod. de Episc. & Cleric. Nov. 123. cap.* Clerici vero legitimi tutores esse poterunt

runt, si intra quatuor menses ex quo vocati sunt, se libere tutelam suscepisse declarent. *d. aurb. presbyteros, Cod. de Episc. & d. Nov. 123. cap. 5.* nec etiam ad tutelam admittendi sunt illi, quos in suo testamento mater tutores esse vetuit. *l. un. Cod. si contra matr. volunt.*

X I I.

Dicitur est, quibus modis tutores constituuntur, & qui nam possunt esse tutores; restat dicendum, quod nam sit eorum officium; tutor simulac se datum noverit, tenetur, ante administrationem, interdum satisfacere rem pupilli salvam fore; *princ. inst. de satisfat. tut. l. 4. §. 1. ff. rem pup. salv. fore.* quod si nolit satisfacere, removendus cum infamia, si vero propter inopiam non possit, removendus quidem est, sed sine infamia. *l. 2. Cod. de tut. vel. cur. qui satisf. n. ded.* Satisfacere tenentur soli legitimi & dati sine inquisitione. *princ. inst. de satisfat. tut.* non vero testamentarii & cum inquisitione dati *d. princ. inst.*

X I I I.

Tutores quoque ante administrationem, curare debent inventarii solennis confectionem, & absolvere intra tempus arbitrio indicis definitum. *l. 24. Cod. de administ. tut. vel cur.* quod si hæc confectio dolo malo neglecta sit, tenentur ad interesse. *l. 7. ff. de administ. & peric. tut.* Quæritur; An pater hanc confectionem inventarii possit remittere? Affirmo per *l. ult. §. 1. Cod. de arbit. tut.* simplicem vero saltem annotationem, quæ ad rationes reddendas est necessaria; remittere non potest. *arg. l. 5. §. 1. ff. de administ. vel peric. tut. junct. l. 119. ff. de leg. 2.*

XIV. In

XIV.

In ipsâ administratione talem debet adhibere diligentiam, quam in suis rebus solet diligens paterfamil. *l. 33. ff. de administ. & peric. tut.* idcirco tutor tale periculum præstabit, quod ex levi culpâ descendit. *l. 3. Cod. arbitr. tut.* debet etiâ solvere debita. *l. 23. ff. de administ. & peric. tut.* pupillum in iudicium defendere. *l. 9. §. 6. ff. eod. l. 6. II. & 18. Cod. eod.* debita exigere *l. 46. §. ult. ff. eod.* pecuniam pupillarem scenori collocare, si id res exigat, aut in emtiones prædiorum impendere. *l. 3. §. 2. l. 5. ff. eod. l. 24. Cod. eod.*

XV.

Si plures sint tutores, quæritur; an omnes tenentur in solidum; distinguendum est, vel tutela est divisa, vel non est divisa; si sit divisa à testatore vel iudice, hoc casu, quisque pro sua parte tenetur, nisi forte quis negligens fuerit in suspectis postulandis. *l. 2. Cod. de dividend. tut.* si sit divisa propria autoritate, hoc casu, omnes qui gesserunt in solidum tenentur, eo qui gessit prius conveniendo. *l. 3. Cod. eod.* sed si tutela non sit divisa singuli in solidum conveniuntur, dato iis beneficio divisionis. *l. ult. ff. rem pup. salv. fore.*

XVI.

Educatio pupilli pertinet etiam ad officium tutoris, quæ debet fieri ubi prætor id tutissime arbitratur. *l. 1. ff. ubi pup. educ. vel mor.* regulariter autem apud matrem, nisi transferit ad secundas nuptias, sed non facile apud eos qui successionem sperant, ne forsan ei struant insidias, *l. 1. §. 1. ff. eod.* neque etiam apud tales,

I N A U G U R A L I S . 9

tales, qui pudicitiae pupillorum possunt insidiari, *l. 5. ff. eod.*
Alimenta etiam ei congrue decernenda sunt pro modo facultatum. *l. 2. Cod. de aliment. pup. præst.*

X V I I .

Denique etiam tutoris est auctoritatem præstare in contractibus omnibusque negotiis, unde damnum possit inferri pupillo, ne id oriatur; *tot. tit. ff. de auct. tut.* veluti in solvendo. *l. 23. Cod. de administr. tut.* in alienandis rebus quæ servando servari nequeunt. *l. 22. Cod. eod.* in adeundâ hæreditate, etsi ibi etiam spes lucri appareat. *§. 1. inst. de aut. tut.* in bonorum possessione petendâ. *d. §. inst. eod.* & quidem sine auctoritate tutoris, ipse pupillus, quid gerens, non obligatur, nisi in quantum factus sit locupletior. *l. 5. ff. de aut. tut.* adeo ut pupillus si emerit equum, equusque sibi jam sit traditus, vel equum reddere, vel præteritum solvere teneatur: si queratur, quando illa auctoritas præstanda? Resp. statim, non post intervallum aut ratihabitione. *§. 2. inst. de aut. tut.* & quomodo? Resp. non per nuncium, non per epistolam, sed ipsa tutoris præsentia *d. §. 2.*


X V I I I .

Tutela finitur variis modis; morte scilicet tam tutoris, quam pupilli; *§. 3. inst. quib. mod. tut. finit. l. 16. §. 1. ff. de tut.* pubertate, hoc est ætate annorum 14. in masculis 12. in fœminis; *prin. inst. quib. mod. tut. finit.* maxima & media capitis deminutione, minima etiam pupilli. *§. 1. inst. eod.* remotione & excusatione *§. ult. inst. eod.* existente die vel conditione. *§. 2. & §. 5. inst. Cod.*

XIX. F.

Finitâ tutelâ, ex administratione tutoris datur actio tutelæ directa & contraria; actio tutelæ directa est civilis, bonæ fidei, competens pupillo & ejus hæredi, adversus tutorem & ejus hæredem, ut rationes reddat administrationis, & res juxta inventarium restituat. *l. 1. §. 3. ff. de tut. & rat. distrab.* Contraria tutelæ actio datur tutori & ejus hæredi, adversus pupillum & ejus hæredem, ut consequatur id quod sibi ratione tutelæ administratæ ab est vel ab futurum est. *l. 1. in pr. & §. ult. ff. de tut. & rat. distrab.*

F I N I S.





COROLLARIA.

I.

AN filius emancipatus possit esse testis
in testamento patris? disting.

II.

*Contractus in testamento celebrari ne-
quit.*

III.

*Inter verbis tantum conjunctos jus ac-
crescendi locum habet.*

IV. In

I V.

In mutuo fit alienatio.

V.

Mulier potest esse testis in Codicillis.

V I.

*Fidejussor, qui se obligavit in majorem
summam quam reus principalis debet,
tenetur ad summam concurrentem.*

